

Dissertatio apologetica qua celeberrimi Elsneri sententia [...]

Autor(en): **Elsner / Altmannus, C.**

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1750)**

Heft 17

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394664>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Disfertatio Apologetica

qua

Celeberrimi ELSNERI

Sententia

de

Stella a Magis visa

ab Objectionibus Cl. ALTMANNI vindicatur

B. S. C E A. R.

§. I.

STella exorientis justitiæ solis prænuntia, quæ Magos sedibus suis evocaverat, Bethlehemque ad incunabula Servatoris nostri deduxerat, & nostra tempestate doctissimorum virorum excitavit ingenia. Diu satis disceptatum est, qualis hæc stella fuerit. In id autem ante omnia erat inquirendum, utrum visibili sua luce in patentissimo cœlo omnium mortalium oculis conspicienda; an Magorum divina revelatione gaudentium menti duntaxat & intellectui fuerit objecta. De posteriori modo, quod omnino mirandum est, omnes, qui ex lucubrationibus suis Stellæ huic fulgidissimæ lucem aliquam afferre studuerunt, ne per somnium quidem cogitarunt. In cogitationes has primus, quantum constat, summe Venerandus atque Doctissimus ELSNERUS incidit. In egregia enim dissertatione *de Stella Magis visa*, quæ in *Symbol. Literar. T. I. P. II. p. 43.* ex-

tat, evidentissimis rationibus demonstravit, Stellam hanc non omnium oculis fuisse expositam, sed solis Magis significationem ipsius edoctis apparuisse. Non arrisit hæc sententia Cl. ALTMANNUS, insigni Helvetiorum Theologo, eamque in dissertatione sua *de stella Magis visa*, quam *Partic. XV. Musæi Helvetici* inseruit, omnibus viribus evertere annisus est. Dissertationem Viri Cl. legimus, atque argumenta quibus Elsnerianam sententiam labefactare, suamque stabilire conatus est, examinavimus, singulisque examinatis facile perspeximus sententiam Elsnerianam nondum esse infractam, alteram autem, quam Cl. ALTMANNUS sibi exornandam illustrandamque elegit, pluribus adhuc laborare incommodis. Totam igitur Viri Cl. disputationem ad calculos revocare operæ pretium esse existimamus, nec dubitamus, Virum doctrinæ morumque elegantia conspicuum eandem, quam sibi in examinanda Elsneriana sententia sumsit veniam nobis vicissim daturum esse.

§. II.

Ut autem æquo ac candido lectori de tota hacce causa iudicium facili negotio ferre liceat, primo sententiam Elsnerianam suis præfidiis suffultam exponemus, eaque exposita argumenta perlustrabimus, quibus Cl. ALTMANNUS eam evertisse sibi visus est. Ubi enim argumenta cum argumentis, sententiam cum sententia contulerimus, facile exinde apparebit, quæ sententia majorem probabilitatis speciem, veritatemque secum ferat.

§. III.

Existimat summe Venerandus ELSNERUS stellam, quæ Magos Bethlehemum deduxit, nequaquam

quam quorumcunque oculis fuisse expositam, sed iis solis, quibus divinitus id erat datum, Magis scilicet apparuisse, sive illa eorum oculis oblata, sive tantummodo ipsorum mentibus fuerit repræsentata, ut eam oculis cernere præsentemque habere sibi viderentur.

§. IV.

Stellam hanc non omnium oculos incurrisse, sed solis Magis fuisse visam, plures suadent rationes.

1. Talis enim Sideris repente exorti, atque tam longam viam quibusdam hominibus extraordinario motu designantis, fama procul dubio totum fere percrebuisset orientem. Jam tum temporis astrorum periti stellarum ortus, motusque sedulo observabant, scriptores hujus ævi in consignandis phænomenis aliisque prodigiis satis erant accurati. Dignum erat hoc portentum, quod non perituris mandaretur literis, nulla autem ipsius in veterum annalibus omnibusque monumentis occurrit mentio. Quæ *Chalcidius ad Timæum* de stella hac affert, ex ipsa Matthæi historia non recte intellecta desumit: quæ Judæi in libro *Zohar* nugantur, fabulam sapiunt.

2. Quodsi stella hæc in aperto cælo aliis fuisset conspicua, plures etiam procul dubio sedibus suis lucidissimo hoc sidere exciti, præsagiumque ipsius edocti, itineris comites sese Magis adjunxissent, novum orientis regem adoraturi; soli vero Magi Hierosolyma proficiscuntur, solis etiam Magis stellam apparuisse probabilis ratio suadet.

3. Magi stellam tantummodo in oriente viderant. Quare illa non Hierosolymis etiam aliis con-

spicitur? quare demum Magis Bethlehemum commigrantibus iterum apparet? Quod si stella hæc Dei adventum testata continua luce aliisque conspicua fulsisset, etiam Hierosolymis conspecta fuisset.

4. Denique si stella Magis Bethlehemum proficiscentibus iterum apparens aliis etiam fuisset visa, si ætherea sua domo relicta, in sublunaria, imò in infimam nostram auram sese demisisset, ita ut incunabula Servatoris luce sua ceu radio designaverit, tota sane vicinitas imò omnis civitas effusa ad hanc domum confluxisset, in aëre enim stellam fulgidissimam e cælo delapsam tectumque domus cujusdam lambentem conspicabantur, quantum quæso ostentum! aderant viri morum gravitate atque eruditionis fama per totum orientem celebratissimi ex remotissimis terris in vicum hunc delati, novum adoraturi regem, quem Judæi jam tum temporis omnibus votis exoptabant. Verissime hæc disputata sunt, uti recte judicat Celler. IKENIUS in *Symbolis Liter.* T. I. P. II. p. 48.

§. V.

Hæc sunt argumenta, quorum summam etiam Cl. ALTMANNUS exhibuit; sunt vero adhuc alia & quidem maximi momenti, quæ silentio præterire non debuisset. Sententia Doctiss. ELSNERI cum regulis divinæ Sapientiæ conspirat. Non vasta quædam moles hominum, non totus oriens ad incunabula Servatoris devolvendus erat. Quibusdam tantummodo Magis Bethlehemum deducendis nativitas novi regis signo non dubio indicatur; his etiam solis signum hoc apparuisse censendum est, cum res significata iis tan-

tum

tum innotuisset. Frustra sane hæc stella ceteris mortalibus significationem ipsius ignorantibus fuisset conspecta.

§. VI.

Magi divina revelatione gaudebant, testatur hoc Matthæus, concedit Cl. ALTMANNUS, atque omnino tali revelatione opus erat, ut Magi stellæ præfagium edocti ad iter sese accingerent. Viri autem divino numine agitati varia sæpius conspiciabant, quæ aliorum oculos subterfugiebant, hinc *Videntes* appellantur. Ita Elisæus vates angelorum agmina conspiciabat, præsentis puero non conspecta, donec illi quoque Deus oculos aperuisset 2. Reg. VI. 17. Ita Jesajas gloriam Jehovæ c. VI. ita Jeremias c. I. Ollam ferventem. Ezechiel c. I. imaginem gloriæ divinæ. Daniel virum, quem c. X. graphice depingit, soli viderunt. In plurimis hisce apparitionibus Servator gloriam suam cœlestem conspiciendam præbuit; atque hoc est *videre*, mente scilicet divinitus illustrata, ut passim viri docti, inprimis autem VITRINGA, tum in *Theologia Prophetica*, tum in *Commentario in Jesajam* subinde observavit.

§. VII.

Eadem etiam ratione deinceps Servator sæpius usus est. Quum terras nostras lustrandas inviseret, gloria ipsius solis Bethlehemiticis pastoribus illuxit; eandem postea conspiciendam dedit in monte illo tribus tantummodo discipulis, Petro scilicet Joanni & Jacobo, quibus etiam visum hoc divulgare interdictum erat. Ex mortuis suscitatus non omni populo, sed discipulis suis apparuit, hi etiam soli ipsum terras relinquentem conspexere omnem

omnem mentis oculorumque aciem, in eum de-
fixam habentes. Cum inter cœlites jam versaretur
visus est Stephano lapidibus obruendo, hosti-
bus suis nec cœlum fissum nec Servatorem viden-
tibus; visus est Paulo Damascum pergenti, ite-
rumque Hierosolymis in templo versanti, comi-
tibus ejus nihil videntibus.

§. VIII.

Cum igitur Magi illi divina revelatione, do-
cente Matthæo, & Cl. ALTMANNO largiente,
gavisi fuerint, iidemque *vidisse Stellam* dicuntur,
summo jure Doctis. ELSNERUS hæc verba de
visione exposuit, revelatione divina Prophetis vi-
dentibus communi, atque adeo de visione Spiritus,
mentisque a Deo evectæ, ut percipere & in-
telligere possit, quæ ceterorum quamvis perspi-
cacissimorum sensus fugiunt. Argumentum hoc
Cl. adversario evertendum fuisset, maximum enim
in eo positum est momentum.

§. IX.

Afferuimus hætenus, qua potuit fieri brevita-
te, causam summe Venerandi ELSNERI. Jam
argumentationes atque dubia Cl. ALTMANNI no-
bis examinanda sunt. Primum ELSNERI argu-
mentum ipsi nullius valoris esse videtur; *nullum
enim validum ex Scriptorum silentio peti potest argu-
mentum*: At vero, ut modo dictum, præcipu-
um illius argumentum est, quod *videre* tribuatur
Magis divina revelatione fruentibus, ut patet ex
apparitione angeli in somnio, qui autem divina re-
velatione fruebantur, divina ostenta non oculis
corporis, sed mentis acie videre solebant. Dein-
de si talis excellentissima stella oculis corporis a-
deoqua

deoque toti terrarum orbi patuisset, annalibus & monumentis publicis omnino commendata fuisset, in tanta præsertim illorum temporum Philosophorum ac virorum doctorum multitudine, stat igitur hoc argumentum præsertim cum reliquis conjunctum.

§. X.

Nec secundum argumentum Cl. Viro magni ponderis esse videtur. *Non enim sequitur, quod si fax vel ignis quidam Magis in contemplatione astrorum occupatis comparuit, quod inde plurimi homines eodem tempore illum fulgorem viderint, vel si vidissent, sed ejus significationem ignorassent, se viæ dederint, visuri, quo eos stella hæc deduceret.* Varia Vir Cl. ponit, ut argumenti hujus nervum infringat. Fingit facem aliquam, aut ignem aut fulgorem in patentissimo cælo conspicuum iis tantummodo Magis fuisse visum, qui postea ad iter sese accingebant, & qui tum temporis vel soli in astrorum contemplatione de nocte occupati erant. Fingit porro, si fax illa pluribus fuisset visa, eos omnes portentis hujus incuriosos fuisse, nec in ejus significationem inquisivisse, præsertim cum Magos, ad iter sese accingere & stellam hanc quasi vertice suo gerere viderent. Fingit, & omnino hoc etiam fingendum est, omnium earum regionum incolas, quas stella & Magi pari passu perambulabant, vel stellam satis fulgidam non vidisse, vel ostenti hujus etiam plane incuriosos fuisse. Quo plura autem Viro Cl. fingenda sunt, eo magis sententiæ ELSNERI Veritas elucescit. Fingat sibi Vir Cl. nostra tempestate subito novam atque portentosam exoriri stellam, eamque ex altissimo cælo in nostrum aëra delabi, naturam novum terrarum

rarum orbis regem parturire hac stella ceu certissimo signo indicari, viros quosdam sapientia ac dignitate illustres, præfagium hocce per divinam revelationem edoctos stellam hanc quasi antenna portantes vastissimas peragrarè regiones, an non stella oculis obversans & fama hujus ostenti per omnium ora volabit, annon plures ad hoc spectaculum concurrent?

§. XI.

Ad tertium argumentum Vir Cl. observat; quod non necesse fuerit hanc stellam ab eo tempore, quo Magis primum fuerit visa, continuo & sine splendoris intermissione lucere, sufficiebat enim stella duce Magos ex oriente primum Hierosolymam, ac deinde Hierosolyma Bethlehemum fuisse quasi filo Ariadnæo ductos, an autem inde ex oriente Hierosolymam usque semper fulserit Vir Cl. se ignorare candidè profitetur, cum incertum sit an Magis de nocte dormientibus, an in aliquo loco consistentibus fuerit conspecta. Parum hic sibi Vir Cl. constat, imo ad angustias redactus, ignorare se candidè profitetur, an stella ex oriente Hierosolymam usque semper fulserit, non necesse hoc fuisse ipsi videtur. Quod autem se ignorare profitetur, hoc uno eodemque ore confidenter satis atque clarissimis verbis asserit, en ipsius verba! Sufficiebat stella duce Magos ex oriente primum Hierosolymam ac deinde Hierosolyma Bethlehemum fuisse quasi filo Ariadnæo ductos. Filium Ariadnæum per omnes Labyrinthi errores Theseo transeundos diductum erat. Quodsi igitur stella filii Ariadnæi instar Magos Hierosolyma, Hierosolymisque Bethlehemum deduxit, omnino continua sua luce continuam viam Magis designavit, ita ut ipsis quiescentibus quieverit, moventibus autem fuerit mota. Si porro

porro Magis totum iter per omnes regiones trans-
eundas commonstravit, lucem suam in pomœriis
Hierosolymitanis haud intermittere debuisset, ut
fidem etiam illorum verbis conciliaret qui digito
monstrare stellam universis Hierosolymitanis po-
tuissent. Incertum Viro Cl. esse videtur an Ma-
gis de nocte dormientibus, aut in aliquo loco
consistentibus stella fuerit conspecta. Iterum Vir
Cl. sibi parum constat. Dixerat antea uti § præ-
ced. vidimus, stellam Magis in astrorum contem-
platione occupatis comparuisse, jam incertum ipsi
videtur, utrum de nocte dormientibus, an in
aliquo loco consistentibus fuerit visa. Non igitur
refragatur, Magos de nocte dormientes vidisse stel-
lam novi regis nunciam. En Virum Cl. in sen-
tentiam ELSNERI tandem delapsus! Si Magi de
noctē *dormientes* id est *per quietem vel per somnium*
stellam natalitia novi regis prælagientem videre
sibi visi sunt, nequaquam in cœlo extitit, sed ima-
go ejus ipsorum mentibus tantummodo fuit ob-
jecta. Vel forsitan adhuc fingendum est, stellam
hanc eo quoque momento in cœlo comparuisse,
atque iterum a Magis jam expergefactis fuisse con-
spectam. At largiamur, Magos de nocte arcte &
graviter dormivisse, dormientesque siderum mo-
tus novæque stellæ ortum contemplatos esse, con-
cedamus stellam non continua luce fulsisse, nihil-
ominus luce sua ceu filo Ariadnæo totum iter desi-
gnavisse, ingens tamen injicitur scrupulus, quare
Hierosolymis non fuerit conspecta.

§. XII.

Quartum argumentum Virum Cl. non magis
moveret, quam præcedentia. *Stella enim ex ipsius
mente non ita ingens & fulgida erat, ut plurimi inter-
pretes*

pretes putant, sed modica tantum, & viam lucis vel facis alicujus ad modum signans, hoc autem posito, omne pondus verborum ELSNERI evanescit, imo colligendum est ex historia evangelica fulgorem hujus stellæ tantum non fuisse, quantum magna pars interpretum fingit, quia alias haud dubie omnis vicinitas ad tantum spectaculum confluxura fuisset. Verum enimvero qua veritatis specie stella, & quidem stella novi regis etiam a remotissimis gentibus adorandi, quæ tanta etiam luce Magos perstrinxerat, ut sedibus suis relictis tantum iter susciperent, in modicam & exiguam quandam lucem aut sulcum quandam stellæ transcurrentem converti potest? Quis Magos astronomiæ peritos ad modicam quandam lucem obstupuisse & mox ad tantum iter surrexisse credat? Nubecula quædam aut ignis fatuus aut discurrens fuisset, talis autem ignis astronomiæ peritum nequaquam commovebit.

§. XIII.

Aliud adhuc dubium profert Doctiss. ALTMANNUS, eoque totam ELSNERI sententiam funditus evertere sibi videtur. *Magis Urbe Hierosolymorum egressis stella iterum apparet. Stella igitur non fuit imaginaria tantum, alias ejus imago haud dubie phantasiæ perpetuo insedisset, sed ea quoque aliis fuit conspicua.* Argumentatio hæc, quod pace Viri Cl. dixerimus, omni destituitur nervo. Licet enim stellæ imago Magorum mentibus tantummodo fuerit depicta, nondum tamen imaginaria vocanda est, multo minus ex eo evinci potest, imaginem hanc Magorum phantasiæ perpetuo insedisse. Quemadmodum enim ea, quæ oculis nostris subtrahuntur, non amplius cernimus, pari etiam ratione imago hujus stellæ Magorum mentibus subtracta,
 non

non amplius ipsorum phantasiæ insidere potuit. Si argumentatio Cl. ALTMANNI valeret, imaginaria fuisset Gloria Dei, quam Jesajas vidit, imaginariæ fuissent & aliæ visiones Prophetarum, quas supra attulimus, & quæ ipsorum phantasiæ perpetuo inhærere debuissent. Deus sane & dare & subtrahere lucem suam pro summo arbitrio potest, ac dedit & subtraxit Prophetis, quod toties Sacræ Literæ testantur.

§. XIV.

Hinc jam constare potest, qualem de Stella hac sententiam Vir Cl. sibi exornandam elegerit. Fuit nimirum ex ipsius mente nihil aliud quam fax aut lumen aliquod in parte inferiori atmosphæræ Magis visum, cujus altitudo non sexaginta cubitos superavit. En eandem sententiam CHRISTOPHORI PELARGI verbis in *Comment. ad Matth. p. 34.* conceptam: Hæc stella Magos direxit in toto itinere, quiescentibus Magis ipsa etiam quievit, moventibus ipsa quoque mota est, & quidem in partem inferiorem aëris descendens.

§. XV.

Variæ sunt, & quidem novæ rationes, quibus Vir Cl. hanc non ex omni parte novam sententiam confirmasse sibi visus est. Differit primo de patria, institutis atque auctoritate Magorum, erant Persia oriundi, erant sacrorum antistites, regum consilarii & moderatores, divinæ humanæque sapientiæ publici doctores, Deum puriori mente quam Græci ac aliæ gentes colebant, rejiciebant Deorum imagines, ignis ipsis tantummodo erat illustrissimum Dei symbolum, ignis etiam

hicce sacer, quem sempiternis foculis alebant, exercitiis præferebatur: Comprobat hæc Vir Cl. testimoniis *Strabonis, Herodoti, Diogenis Laertii, Ammiani Marcellini* atque *Curtii*, lectoresque suos, qui plura de Magis scire desiderant, *Raderum, Cellarium*, ante omnes vero alios *Barn. Briffonium* harum rerum perpetuum promumcondum consuleri jubet. Vera ex parte sua, quæ Vir Cl. de Magis tradit, atque a pluribus jam tradita sunt. Enimvero si tantummodo auctoritate Græcorum Romanorumque scriptorum standum esset, purior Magorum doctrina de Deo ex iis scriptoribus facile etiam convelli posset; ex aliis fontibus notitia de Magis potius haurienda est. Plura etiam falsa sunt, quæ *Briffonius* de Magorum doctrina atque institutis tradit; nec hic, sed potius THOMAS HYDE harum rerum perpetuus promuscondus vocandus est.

§. XVI.

Hæc, quæ jam in compendio exhibuimus, dubitare non sinunt Auctorem, quod ignis iste cultus atque argenteis altaribus prælatus exercitiis ex traditione a Judæis accepta, Columna scilicet nubis atque ignis, quæ Israëlitis viam in deserto monstravit, petendus sit. Placuit igitur Deo eodem modo Magos in Palæstinam deducere, imo omnia jam suadent, Magis in astrorum contemplatione occupatis subito fuisse visam facem aliquam cœlestem non in æthere, sed in infima atmosphæræ parte. En rationes, quibus Cl. Vir sententiam suam non ex omni parte novam confirmavit, ut vis harum rationum eo magis illucescat, propositiones, ex quibus tota argumentatio constat, exponemus.

1. Magi erant Persia oriundi, rectius de Deo sapiebant, ac Græci & aliæ gentes.

2. Cultum ignis ex Columna nubis atque ignis arripuerunt.

3. Placuit igitur Deo eodem modo illos in Palæstinam deducere, quo Israëlitas per deserta Arabiæ in terras hasce deduxit.

4. Hinc stella nihil aliud fuit, quam fax in aëre comparens, & sexaginta cubitorum altitudinem non superans.

Salebrosa nobis atque hiulca hæc videtur argumentatio, imo in ea, quod pace Viri Cl. dixerimus, nullam deprehendimus rationem. Concedimus Magos puriorem de Deo fovisse opinionem. Illos vero cultum ignis ex Columna nubis atque ignis arripuisse nondum satis constat. Sed demus hoc, nullam causæ nostræ jacturam faciemus. Nondum enim ulla ratio aut probabilis conjectura suadet, Magos eodem modo in Palæstinam fuisse deducendos, & stellam fuisse facem aliquam in cælo conspicuam, nec altitudinem sexaginta cubitorum superasse. Talis stella aut fax nequaquam cum columna nubis atque ignis comparari potest, de cujus forma videndus est VITRINGA in *Observ. Sacris* l. V. c. CXIV.

§. XVII.

Quemadmodum vero sententia Viri Cl. non idoneis firmata est rationibus, ita nec dubia tollit, quæ Ven. atque Doctiss. ELSNERUS contra rece-

ptam opinionem urget. Exposuimus ea §. IV. atque ab objectionibus Viri Cl. vindicavimus §. IX. X. XI. XII. Si enim fax aliqua in libero aëre comparens natalitia novi regis portendens luce sua nocturna diurnaue Magis totum iter per vastissimas regiones signasset, vel plures harum terrarum incolas in societatem Magorum invitasset, vel saltem fama hujus ostenti easdem regiones percrebuisse, literisque fuisset consignata. Quis enim fingere posset omnes earundem terrarum incolas facem meridiana luce clariorem, lentoque gradu viam quibusdam hominibus signantem, vel non vidisse, vel si viderint non curasse? Si porro fax hæc non obscurior & caliginosa, sed illustris atque perlucida Magis Hierosolymis Bethlehemum abeuntibus in oculos rediens etiam aliis conspicua fuisset, si radiis suis, quos nec diurni luminis claritas abscondebatur, incunabula Servatoris designasset, omnes procul dubio incolæ hujus oppidi ad spectaculum tam insolens tam augustum atque illustre concurrissent. Judæi tum temporis Messiam a xie exspectabant. Nascendus erat Bethlehemi, quod nec incolas hujus oppidi latere poterat. Quis autem sibi fingere posset Judæos Messiam omnibus votis exoptantes, incolas ejusdem pagi, ubi ascendus erat, facis satis fulgidæ natum huncce regem viris quibusdam demonstrantis plane fuisse incuriosos? Enimvero si fax hæc divina non Magis tantum, sed & aliis conspicua fuit, luculentissimo signo a Deo fuisset demonstratum, puerum hunc in cunis vagientem verum esse Servatorem. Qua vero fronte deinceps Pharisei a Servatore signum e cælo nondum ipsis datum petere potuissent? Nolebat Numen sapientissimum incunabula

nabula Servatoris aperto quasi e theatro omni populo conspicienda præbere, rationes gravissimæ hoc prohibebant. Hinc gloria ejus solos Bethlehemiticos pastores collustrat & solos Magos Bethlehememum deducit. Propterea Sapientiæ divinæ magis erat congruum, signum hoc tantummodo illis exhibere, quibus significationem ipsius indicaverat, quod etiam in aliis divinis revelationibus factum esse videmus.

§. XVIII.

Varia adhuc Vir Cl. ad collustranda Matthæi verba profert, quæ etiam nobis perlustrare liceat. Magi Hierosolymas deducti ex incolis quærun-
πῆ ἔστιν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν Ἰσραηλίων; εἶδομεν γὰρ αὐτῷ τὸν ἀστέρα ἐν τῇ ἀνατολῇ. Verba εἶδομεν γὰρ αὐτῷ τὸν ἀστέρα ἐν τῇ ἀνατολῇ Vir Cl. ita vertit; *vidimus enim stellam ejus in ortu suo*, versionemque suam, quæ commodiorem sensum fundat, atque scriptorem sacrum a tautologia liberet, auctori-
 tate RAPHELII confirmat, qui eandem in *Annotat. suis philolog. in N. T. ex Polybio & Arriano p. 9.* jam vidit & probavit. Si versio hæc supervacaneam repetitionem ex verbis Matthæi tolleret, si commodiorem funderet sensum, omnino vulgari atque receptæ versioni esset præferenda. At nec scriptorem tautologia liberat, temere enim hæc illi affingitur; nec commodiorem fundit sensum; nec optime cum sententia Viri Cl. conspirat. Si enim receptam tenemus versionem, quæ nec facile convelli potest, nullam supervacaneam repetitionem in verbis Matthæi deprehendimus. Indicaverat antea p. I. patriam Magorum, venerant scil. ex regionibus quæ solem orientem spectant,

jam ipsorum verba refert, ex civibus Hierosolymitanis scilicet quæerunt: *Ubi est ille Rex Judæorum, qui natus est; vidimus enim ejus stellam in Oriente.* Ex sententia Viri Cl. stella hæc fili Ariadnæi instar igne suo continuo Magos Hierosolymas deduxit, an igitur Magi stellam tantummodo in ortu suo conspexerant? an ortus ejus tantum indicandus erat? Vox ἀνατολή equidem ortum sideris cujusdam etiam indicat, quam significationem *Raphelius* l. c. ad verba v. 1. ἀπὸ τῶν ἀνατολῶν exemplis quibusdam ex *Polybio* adductis demonstravit. Nequaquam autem verba v. 2. ἐν τῇ ἀνατολῇ ita vertit nec ita vertenda esse probavit. Videre hoc possunt lectores, quos Vir Cl. *Raphelium* consulere jubet, videre etiam potuisset Auctor, si ipsi librum citatum inspicere lubuisset.

§. XIX.

Magi stella duce Hierosolymas delati, uti Cl. Vir censet, Herodem adeunt, existimabant nimirum rem tam illustrem jam Herodi esse cognitam, quæ ipsis in Oriente per divinam revelationem innotuerat. Magos statim Herodem adiisse, quod auctor supponit, nondum satis constat, nec probabilis aliqua conjectura ex serie totius narrationis evangelicæ colligi potest, colligendum potius ex illa foret Magos locum natalem novi regis ex incolis hujus urbis quæsisisse, atque famam de eorum adventu ad Herodem deinceps esse perlatam.

§. XX.

Herodes, quum Magorum adventum & itineris suscepti causam cognovisset, perturbatur, & cum ipso tota civitas Matth. II: 3. In collustrandis

dis hisce verbis multus est Cl. Auctor. *Civitas ex mente ejus turbabatur & anxia erat gaudium cum mœrore & perturbatione miscens, quia jam calamitatibus agitata præsentem ferre miseriam malebat, quam novas mutationes subire, cum Messias ex sensu eorum regnum Romanis atque Herodi sine bello & multa sanguinis profusione eripere non posset. Herodes vir potens & crudelis, qui magna valebat apud Romanos gratia, jam magnam Judæorum partem sibi habebat addictam, qui ægre tulissent mutari præsentem rerum statum, qui in melius nonnisi cum discrimine mutari potuisset; & quæ erat spes Regem in abjecto & contemptibili loco, ut erat vicus Bethlehemiticus, natum in melius mutaturum fortunam Judæorum? Magna Judæorum Hierosolymis habitantium copia de nativitate Messiaë haud parum erat sollicita, ne adveniente Messia Judæi ex omnibus mundi partibus concurrentes habitationis locum & incommodum & molestum civibus Hierosolymitanis efficerent. Plura hic proferuntur, quæ non satis exactam horum temporum & Judæorum indolis notitiam arguunt. Herodes equidem tum temporis magna apud Romanos valebat gratia, quo major autem hæc gratia eo flagrantius etiam erat Judæorum odium, nec magnam eorum partem ita sibi habebat addictam, plurimi in eum erant animo infensissimo, detestabantur enim Romanorum imperium & aquilam, cujus effigiem in templo quotidie conspiciabantur. Non ita pridem Cæsari atque Herodi denuo jurare erant coacti; nec regem odium hocce latebat, hinc moribundus cædem procerum meditabatur, ut eorum morte suæ mortis gaudium in mœrorem atque luctum converteret. Bethlehemum quidem exiguum erat oppidum nec vastis pomœriis nec splendidis ædificiis*

superbiens ; humilis tamen ejus facies non spem ,
 quam Judæi de Messia conceperant , imminuere
 poterat. Hoc enim erat in fatis , ut Messias in
 hac urbe nasceretur ; nequaquam propterea erat
 minima urbium tribus Judæ. Evanuisset omnis
 spes si rex ille promissus in alio loco , vel ipsis
 Hierosolymis fuisset natus. Judæi ex omnibus
 terris ad Messiam congregandi erant , horum au-
 tem adventus civium Hierosolymitanorum animos
 non valde sollicitos reddebat , tales hospites inco-
 lis quæstui inhiantibus exoptatissimi erant , hac
 ratione maximæ in eorum urbem confluxuræ erant
 divitiæ , plura ædificia extruenda , ne habitatio-
 nis locus incolis incommodus redderetur. Nullo
 modo credibile est Judæos omnem spem de Mes-
 sia postponere voluisse præsentis rerum statui &
 magis optavisse tyrannidem Herodis & imperium
 Romanorum quam libertatem , in quam asserturus
 esset eos Messias , ita ut illis summa potestate im-
 perarent , quorum imperium adhuc cum maximo
 suo damno fuerant experti. Sane anxiiis votis Ju-
 dæos die nocteque adventum ejus expetivisse Apo-
 stolus Paulus testatur Act. XXVI: 7. Atque ab
 his temporibus usque ad hunc diem nihil est , quod
 majori contentione exoptent quam Messiaæ adven-
 tum.

§. XXI.

Exposuimus ea , quæ Vir Cl. ad confirman-
 dam illustrandamque sententiam suam de stella Magis
 visa attulit. Perpendat singula æquus lector , con-
 ferat argumenta ELSNERI cum novis rationibus
 quibus Cl. ALTMANNUS sententiam suam com-
 probare annisus est , facileque cognoscet quæ sen-
 tentia

tentia potiora secam ferat vel veritatis vel saltem
probabilitatis pondera, siquidem ultra probabili-
tatem nemo in hac re progredi possit uti Cl. ALT-
MANNUS contendit.

T A N T U M .

